



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies tertius et quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

Protestatio Auctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72907)

APPROBATIO ORDINARII.

Examine prævio, prodiit Tomus secundus Octobris, continens tertium et quartum dies dicti mensis, auctoribus RR. PP. Constantino Suyskeno, Cornelio Byeo, Jacobo Bueo et Josepho Ghesquero, Societatis Jesu presbyteris, in quo præcipuam partem habet Vita S. Francisci, cujus maximam sanctitatem invicte probant Historici cœvi et suppar S. Bonaventura, non item illi, qui postea Historias, Revelationes et Visiones in publicum dederunt, in quibus varia sanctissimo Viro injuriosa et inter se pugnantia conspiciuntur. Si alicubi, maxime hic meminisse oportet Protestationis, quam præmittere solent scriptores Hagiographi: neque suis, aliorumve relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiae ab hominibus errori obnoxii scriptæ. Hæc præsertim pro acatholicis, in quorum Bibliothecis hoc Opus de Actis Sanctorum locum obtinet, ut calumniari desinant, quasi ab Ecclesia Catholica cæco zelo adoptentur, quæcumque in laudem Sanctorum scripta reperiuntur, nam in iis, quæ non sunt Fidei Catholicæ, unicuique fidei omnimoda libertas est sentiendi ea, ad quæ rationis pondus magis inclinât: neque contrariam Ecclesiæ præxim evincunt ex eo, quod indiscretos aliquando audiant concionatores, qui directe impingunt in expressam Superiorum Instructionem, qua cavetur, ne apocryphis historiis et fabulis utantur, ne Miracula et Indulgentias, nisi prævia approbatione Ordinarii promulgent et de ejus licentia publicent: tantum abest, similes abusus Ecclesiæ imputari posse, ut potius clare pateat, Ecclesiam illos detestari. Neque objiciant præxim Fidelium toto orbe frequentantium Indulgentiam Portiunculæ, ut vocant, quia constat, quod Ecclesia illam concesserit et extenderit ad omnes ecclesias Ordinis S. Francisci, quam independentem a veritate Historiæ concessionis immediatæ a Christo Domino lucrantur tam illi, qui Historiam rejiciunt, quam ii, qui illam ut genuinam admittunt. Cavendum interim hujus Indulgentiæ prærogativas indiscrete extollere supra alias Indulgentias Plenarias, ne perditæ vite homines, neglecto de Confessione et Communionem annua Ecclesiæ præcepto, conversionem suam temeraria prorsus fiducia differant ad tempus Indulgentiæ Portiunculæ, quales se plures novisse assertit Waddingus. Nec est, quod acatholicos offendere possint imagines et Historia de continuo miraculo corporis S. Francisci incorrupti et viventis instar consistentis suis sine fulcro innixi pedibus, cum de illius miraculi veritate non tantum inter Catholicos, sed et inter ipsos S. Francisci Alumnos sit controversia, quæ facile dirimi posset et deberet per inspectionem, ad quam se obtulit hujus Vitæ Auctor cum socio a paucis annis Romæ existens, unico ad explorandam veritatem, et ad majorem Dei, qui est mirabilis in Sanctis suis, gloriam manifestandam. Si forte inhibitiones aliquæ obstitissent, amoveri poterant eadem, quæ factæ sunt, auctoritate, supplicantiibus RR. PP. Conventualibus (in quorum ecclesia subterranea prope Assisium perseverare fertur dictum miraculum) summo Pontifici, qui haud dubie gratiose annisset, probe sciens, honorificum esse opera Dei revelare et confiteri. Datum Antverpiæ 9 Julii 1768.

J. F. De Bruyn S. T. L. Seminarii Episcopalis
Præses, Cathed. Ecclesiæ B. M. V. Canonicus
grad., Archi-Presbyter, Examinator Syno-
dalis, librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod identidem protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve hic relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiae, ab hominibus errori obnoxii scriptæ: idem ante hunc secundum tomum Octobris denuo protestamur.

INDEX